



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

64. An quando prætermittitur correctio fraterna in delicto vergente in  
damnum tertii, & periculum non sit in mora, & speretur correctio, quis  
peccet contra justitiam crimen tunc aperiendo? Ex p. 7. ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

propter perseverantiam amisit ius ad famam; quod procedit, etiam si delinquens sit indignandus; nam posterior est ratio patientis iniuriam, quam inferentis. Ita Trullench; cui adde Sanchez in *Opuscul. tom. 2. lib. 6. cap. 2. dub. 4. n. 9.* sic asserentem. Quando peccatum occultum est in damnum tertie personae priuatae, & damnum in futurum pender, vt si paretur mors, &c. vel si secretò noui latronem, qui furatus est bona proximi, &c. tunc teneor secretò corrigere, vt restituat, vel cesset à voluntate occidendi, si est spes certa, quòd cessabit à damno; sin minus, teneor Superiori denunciare, si absque meo detrimento possum. Ratio, quia teneor proximum damnum peccantis, melior est conditio patientis iniuriam. Ita Sanchez, qui citat Sotum.

2. Vide etiam circa presentem Quæstionem Villalobos in *Summa tom. 2. tract. 4. difficult. 12. numer. 1.* Filiucium *tom. 2. tract. 28. cap. 7. numer. 149.* Cunnich *disp. 28. de Charitat. dub. 8. num. 147. & 148.* & Castrum Palaum *tom. 1. tract. 6. disp. 3. punct. 13. numer. 7.* qui obleruat magnam esse differentiam inter peccata quæ solum peccanti nocumentum afferunt, & inter illa, quæ aliis nocent. In peccatis enim solum peccanti damnificantibus, sufficit probabilis spes, seu non desperatio fructus, vt correctio secreta debeat ex præcepto diuino præmitti. At in peccatis damnuna tertio afferentibus requiritur moratus certitudo, seu spes certissima de correctione, & deuitatione omnium damnorum, quæ timentur. Quod etiam docet Suarez *de Charitate disputat. 8. sect. 6. num. 6.*

RESOL. LXIV.

An quando præmittitur correctio fraternalis in delicto uergente in damnum tertij, & periculum non sit in mora, & speretur correctio, quis peccet contra iustitiam, & crimen tunc aperiendo? Ex p. 7. tr. 3. Res. 52.

§. 1. **R**espondet affirmatiuè Lessius *lib. 2. cap. 11. dub. 9. num. 62.* ubi sic ait. Si ad auertendum damnum, tertij non est necesse crimen alterius patefacere, sed superest alia via commodior, seu minus noxia, v. g. per fraternali correctionem; non possum aperire: similiter, si nihil iuaret ad damnum auertendum, Prior pars patet, quia esset contra charitatem; tenemur enim minimum lædere proximum quantum fieri potest, tum in illo curando, tum in malis ab illo proueniens auertendis.

2. Sed difficultas est, an sit contra iustitiam; crimen tunc aperire? Videri possit non esse; quia nemo habet ius ad famam, per quam aliis nocere patet; seu per quam tribuitur ei probitas vel peritia cuius simulatione aliis esset nociturus. Vnde etiam nemo potest conueniri sibi factam iniuriam, quod illis sui defectus sint patefacti, sed sibi id imputare debet; vt qui per hanc famam aliis nocebat. Deinde, quia potest quis interdum habere ius in famam & vitam alterius, etiam si malum aliter auerti possit; vt si inuadatis, & possis fugere; non enim ex iustitia tenentur fugere, vt supra ostensum est. Sic si accusaris iniuste, & possis euadere vel exceptione fori, vel exceptione contra accusatorem, pandendo crimina eius occulta, non facis illi iniuriam, si pandas. Nilominus altera sententia est communior, præsertim si ille alioquin erat bonæ famæ. Ita Lessius, cui etiam adde Sayrum in *clauis Regias lib. 11. cap. 4. num. 6.* dum allicet contra faciendam peccare iniuste, famam pro

ximi lædendo, sicut Medicus, ait, qui sanare potest absque abscissione membri, iniuriam faceret abscidendo illud, & consequenter teneretur ad restitutionem.

3. Verum exemplum illius non venit ad rem, quia Medicus ex officio & ex iustitia tenetur curare quàm minimo damno potest propter stipendium sibi datum; iste uero ex charitate tantum monere. Quamobrem dicendum est, peccare solum contra charitatem, non contra iustitiam illum qui prætermittit hac correctione fraternali, dum utilis speratur, & non periculum in mora, crimen uerum, sed occultum alteri nocium statim manifestat, & consequenter ad restitutionem non tenetur. Ratio est, quia nemo tenetur ex iustitia confugere ad faciliorem modum, sed tenetur tantum ex charitate facere; ergo non peccabit contra iustitiam, si istud medium relinquit, & illud assumat, & consequenter dico contra Lessium, vnumquemque hominum ius habere ad manifestandum peccatum proximi nocium alteri, vt hoc nocumentum impediatur: cum enim nemo habeat ius ad nocendum alteri, consequenter non habet ius ad famam, per quam alteri nocere parat: unde ei non fit iniuria, nec iuste queri potest, quòd sibi iniuste fama auferatur, sed solum quòd sibi illicite, & prætermittit faciliiori medio à Christo Domino relicto auferatur, cum damno proximi alio modo posset obuiari. Et hanc sententiam tenet Fagundez in *Decalogo tom. 2. lib. 8. cap. 6. n. 6.*

RESOL. LXV.

An quando proceditur via denunciationis iudicialis in delictis tendentibus in damnum communitatis, sit præmittenda fraternalis correctio?

Et an in dicto casu sit contra iustitiam, & Charitatem non præmittere correctionem fraternali?

Et notatur, quod est magnum discrimen inter hæc crimina, quando sunt omnino occulta, & improbabilia, & quando sint occulta probabilia tamen.

Etiamque aduertitur delicta pertinentia ad S. Officium esse denuncianda, etiam si sint occulta, & probari non possint. Ex part. 7. tractat. 3. Resolut. 53.

§. 1. **R**espondeo; quòd si per monitionem secretam delinquenti, vel alteri tertio factam sufficienter intelligitur damnum imminens reparari, clarum est, non habere locum iudicalem denunciationem: hæc enim solum apponi potest in præsentem ad impediendum damnum tertij, vel communitatis. Si ergo hoc impeditur sufficienter medio alio non ita nociuo, & infamatorio delinquentis, illud medium debet apponi, & denunciatio iudicialis omitti; debet enim proximum mederi minori damno, quo potest: excipiendum tamen est crimen hæretis ob ea quæ ibi diximus.

2. At si præsumitur delinquens non corrigendus per secretam monitionem illi vel tertio, cui damnum parat, factam, plures Doctores videntur affirmare non posse ad denunciationem iudicalem deueneri, sed debere dicere Prælato, vt Patri, vel aliis, vt obleruent, & possint esse testes in iudicio: ita Durandus in *4. dist. 19. quest. 4.* Soto *de secreto memb. 2. quest. 4. conc. 2.* expressè Nauarra *lib. 3. de restit. cap. 2. num. 368.* in *2. edit.* Henricus *aliis relatis, lib. 13. de excommunicatione, cap. 18. num. 3.* Emanuel Sà *verbo censura, num. 3.* & in *edit. Romana verbo correctio.*

Ad elucidandam doctrinam huius Res. lege deus præcedentes Res.